



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XL. Quòd homo nihil boni ex se habet, & de nullo gloriari potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

CAP. XL.

Quòd homo nihil boni ex se habet, & de nullo gloriari potest.

Psal. 8. 1 **D**OMINE, quid est homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quia visitas eum? Quid promeruit homo, ut dares illi gratiam tuam? Domine, quid possum conqueri, si me deseris? aut quid iustè obtendere possum, si quod peto, non feceris? Certè hoc in veritate cogitare possum, & dicere: Domine nihil sum, nihil possum, nihil boni ex me habeo; sed in omnibus deficio, & ad nihil semper tendo. Et nisi à te fuero adiutus, & interiùs informatus, totus efficior tepidus & dissolutus.

Pf. 101 2 Tu autem Domine, semper idem ipse es, & permanes in eternum semper bonus, iustus & sanctus, benè, iustè, ac sanctè agens omnia, & disponens in sapientia. Sed ego, qui ad defectum sum magis pronus quàm ad profectum, non sum semper in vno statu perdurans: quia septem tempora mutantur super me. Verumtamen

men citò melius fit, cùm tibi placue-
rit, & manum porrexeris adiutricem:
quia tu solus sine humano suffragio
poteris auxiliari, & in tantum confir-
mare, vt vultus meus ampliùs in di-
uersa non mutetur, sed in te vno cor
meum conuertatur, & quiescat.

3 Vnde, si benè scirem omnem hu-
manam consolationem abiicere, siue
propter deuotionem adipiscendam,
siue propter necessitatem, qua com-
pellor te quærere, quia non est homo,
qui me consoletur: tunc possem me-
ritò de gratia tua sperare, & de dono
nouæ consolationis exultare.

4 Gratias tibi, vnde totum venit,
quotiescumque mihi benè succedit.
Ego autem vanitas & nihilum ante te,
inconstans homo & infirmus. Vnde
ergo possum gloriari, aut cur appeto
reputari? Numquid de nihilo? &
hoc vanissimum est. Verè inanis glo-
ria, mala pestis, vanitas maxima: quia
à vera trahit gloria, & cælesti spoliat
gratia. Dum enim homo complacet
sibi, displicet tibi: dum inhiat lau-
dibus humanis, priuatur veris virtu-
tibus.

Haba. 3. 5 Est autem vera gloria & exultatio sancta, gloriari in te, & non in se: gaudere in nomine tuo, non in propria virtute, nec in aliqua creatura delectari, nisi propter te. Laudetur nomen tuum, non meum: magnificetur opus tuum, non meum: benedicatur nomen sanctum tuum, nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei: In te gloriabor & exultabo tota die, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis.

Ioan. 5. 6 Quærant Iudæi gloriam, quæ ab inuicem est: ego hanc requiram, quæ à solo Deo est. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ tuæ comparata, vanitas est & stultitia. O veritas mea & misericordia mea, Deus meus, Trinitas beata, tibi soli laus, honor, virtus, & gloria, per infinita sæculorum sæcula.

CAP.